1883
1578
305

OFFICIA PROPRIA SANCTORUM PRO CAMALDULENSIBUS.

OFFICIA PROPRIA SANCTORUM

Recitanda à Monachis, Eremitis, ac Monialibus

CAMALDULENSIBUS

Ad præscriptum Breviarii Monastici accommodata.

PARS HIEMALIS.

7. Februarii. Translatio Corporis SS. P. N. Romualdi Abbatis, *duplex primæ classis* cum Octava, pro Eremitis tantùm.
9. Februarii. S. Raynaldi Episcopi & Confess. *duplex*, *cum commem.* S. Apolloniæ Virg. & Mart.
14. Februarii. Octava S. P. Romualdi Abb. Pro Eremitis tantùm. *Duplex*, *cum commem.* Oct. S. Scholasticæ, ac S. Valentini Presb. & Martyris.
S. Petri Damiani Episc. & Confess. *duplex*, *cum commem.* Vigiliæ S. Mathiæ. 23. Februarii, excepto Anno bissextili, quia tunc de Vigilia fit die 24.
13. Maji. B. Fortis Confessoris, *semidupl.*
12. Junii. S. Parisii Confessoris, *duplex*.
Officium SS. P. N. Romualdi Abbatis, *recitandum in Feria tertia sub ritu semiduplici*.

DIE VII. FEBRUARII.

In festo Translationis Corporis SS. P. N. Romualdi Abbatis.

Dupl. i. Classis.

Cum Octava pro Eremitis tantùm.

Ad Vesperas, Antiphona.

Invénta solitúdine, *cum reliq. de Laudibus infrà*. *Psalm.* Dixit Dóminus, *cum reliq. de Dominica.*

Capitulum. *Eccli.* 45.

Dilléctus Deo, & homínibus, cujus memória in benedictióne est: símilem illum fecit in glória Sanctórum, & magnificávit eum in timóre inimicórum, & in verbis suis monstra placávit.

℞. *breve*. Os justi, * Meditábitur sapiéntiam. Os justi.

℣. Et lingua ejus loquétur judícium. Meditábitur. Glória Patri. Os justi.

Hymnus.

Festa dilécti tibi Romuáldi,
Lux adest cultrix sóboles erémi:
Funde jucúndum melos, & canóras
Funde loquélas.
Stirpe præclára satus hic recénti
Laude, quæ priscam décorat Ravénnam,
Incolas inter decus est adéptus
Majus Olympi.
Dum puer silvis cúpidus vagátur,
Hìc, ait, Christi famulus, relíctis
Sæculi curis, Súperum Paréntì
Sérviet aptè.
Sic Dei multo celebránda cultu
Præcinit mirus fera lustra Vates:
Sic piæ glíscunt ténero laténtes
Péctore flammæ.
Ecce cognátum stimulátus ira
Sérgius fundit génitor cruórem:
Ad pias natus fugit, & patérnas
Déserit ædes.
Martyr & primus pátriæ sacérdos
Hìc bis antíquo è túmulo resúrgens,
Visus est illi pia ferre templi
Thura per aras.
Claustra, quo aspéctu attónitus, se in arcta

Conjicit, sævas maris hinc per undas
Vectus, ætérnæ duce sub Maríno
Mílitat aulæ.
Sit Patri summo decus & potéstas,
Sint tibi laudes hóminum Redémptor,
Et tibi consors utriúsque lucis
Spíritus alme. Amen.

℣. Ora pro nobis beáte Pater Romuálde.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat, Antiphona.

Care Jesu, benígne Jesu, mel meum dulce, desidérium ineffábile, dulcédo Sanctórum, suávitas Angelórum! æstuans inenarrábili Divíni amóris ardóre clamábat.

Oratio.

FAmíliam tuam, quæsumus Dómine, beáti Romuáldi patrocínio confidéntem propítius réspice: ut, quem magístrum vitæ sibi delégit in terris, eúmdem apud Majestátem tuam intercessórem habére mereátur in cælis. Per Dóminum nostrum.

Ad Matutinum, Invitatorium.

Collaudémus Regem regum Dóminum, * In translatióne beáti Romuáldi.
Psalmus. Veníte, exultémus.

Hymnus.

CArdinem Mundi médium perérrans;
Prona jam noctis trahit astra currus:
Nos super cælum sacra Romuáldi
Facta ferámus.
Céllula inclúsus silet, atque parcum
Fontis inclúsum látici legúmen
Sumit, & longas prece pertináci
Décipit horas.
Móribus mentem décorans honéstis
Corpus intórto lácerat flagéllo:
Ingemunt artus, ánimo alta cæli
Gáudia libat.
Incolas format némorum, docétque
Nos viam tuto pede iníre Patrum,
Qui Palæstínos coluére saltus,
Quique Canópi.
Præscius casus áperit futúros:
Abstrahit Sæcli láqueis poténtes,
Et jugum Christi tumefácta cogit
Colla subíre.
Hoc pio flexus monitóre Petrus,
Pátriæ linquit malè parta regna:
Nec crucis Christi generósa pondus
Terga recúsant.
Arduum nudis pédibus cacúmen
Appuli montis, scelus ut nefándum
Expiet, jussis ádigit veréndis
Scándere Othónem.
Sanat ægrótos, stygis atra pellit
Monstra vi vocis penetrántis astra:
Arborem cellæ vetat incidéntem
Tángere tectum.
Ignis extínguit rápidi furórem,
Et rates servat prece fluctuántes:
Régii Vatis réserat, docénte
Númine, carmen.
Glóriam sancti Genitóris, atque
Prolis ætérnæ páriter canámus,
Nec Chori laudes táceant perénnes
Fláminis almi. Amen.

In primo Nocturno, Antiphona.

Ut beátum Apollinárem vídero, apud sæculum ultériùs non manébo.
Psalm. Beátus vir, *cum reliq. ut in Communi Confessoris Pontif.*
Antiphona. Dum própriam emendáre vitam Mónachi despíciunt, de corripiéntis morte tractáre cœpérunt.
Psalmus. Quare fremuérunt.
Ant. Accénso mentis desidério cœpit de virtútibus in virtútes mirabíliter créscere.
Psalmus. Cùm invocárem.
Antiphona. Marínus quoque gaudébat beáto Romuáldo esse devótus, cui nuper ipse fúerat Prælátus.
Psalmus. Verba mea áuribus pércipe.
Antiphona. Per contínuum annum nullum álium hábuit cibum, nisi tantùm per síngulos dies unum pugíllum cíceris elíxi. *Psalmus.* Dómine Dóminus noster. *Antiphona.* Quíndecim annis Sábbato tantùm & Domínica die rigórem jejúnii intermíttens, in contínua austeritáte permánsit.
Psalmus. In Dómino confído.
℣. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. *Cap.* 44.

LAudémus viros glorióşos, & paréntes nostros in generatióne sua. Multam glóriam fecit Dóminus magnificéntia sua à sæculo. Dominántes in potestátibus suis, hómines magni virtúte,

túte, & prudéntia sua prædíti, nuntiántes in prophétis dignitátem prophetárum, & imperántes in præsénti pópulo, & virtúte prudéntiæ pópulis sanctíssima verba.

℟. Dum quadam die post visiónem atténtiùs oráret, tanto Divíni amóris igne mentem illíus Spíritus Sanctus accéndit, ut in fletum prorúmpens, * Uberes lacrymárum rivos restríngere non valéret.

℣. Monachórum pédibus prostrátus, tradi sibi monásticum hábitum inenarrábili desidério flagitáret. Uberes lacrymárum.

Lectio ii.

IN perítia sua requiréntes modos músicos, & narrántes cármina Scripturárum. Hómines dívites in virtúte, pulchritúdinis stúdium habéntes: pacificántes in dómibus suis. Omnes isti in generatiónibus Gentis suæ glóriam adépti sunt, & in diébus suis habéntur in láudibus.

℟. Dum patris ejus durítiam métuunt, * Conversióni illíus áditum pándere non præsúmunt.

℣. Ravénnæ Antístitem beátus Romuáldus ímpiger ádiit, eíque omne sui cordis desidérium patefécit. Conversióni illíus áditum.

Lectio iii.

QUi de illis nati sunt, reliquérunt nomen narrándi laudes eórum: & sunt quorum non est memória: periérunt quasi qui non fúerint, & nati sunt, quasi non nati, & fílii ipsórum cum ipsis. Sed illi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt: cum sémine eórum pérmanent bona.

℟. Cœnobítæ Classénses Ravennátis Præsulis suffúlti patrocínio, beátum Romuáldum intrépida securitáte suscípiunt, * Eíque sanctæ conversatiónis hábitum tradunt.

℣. In eo ígitur monastério triénnium ferè transégit. Eíque.

Lectio iv.

HÆréditas sancta nepótes eórum, & in testaméntis stetit semen eó rum: & fílii eórum propter illos usque in ætérnum manent: semen eórum, & glória eórum non derelinquétur. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, & nomen eórum vivit in generatiónem & generatiónem. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, & laudem eórum núntiet Ecclésia.

℟. Tribus annis ipse, & Joánnes Gradonícus sárculis terram frangéntes, & tríticum seminántes, * Ex mánuum suárum labóre vixérunt.

℣. Qui nimírùm dum agricultúram exercébant, pondus jejúnii duplicábant. Ex mánuum.

Glória Patri. Ex mánuum.

In secundo Nocturno, Antiphona.

Vir sanctus mentis óculos in cælum figens, ut Deo in ómnibus obtemperáret, non timébat homínibus displicére.

Psalmus. Dómine quis habitábit.

Antiphona. Regébat mónachos sub districta régulæ disciplína, neque alícui ab ea declináre impúnè licébat.

Psalmus. Dómine in virtúte.

Antiphona. Parvipendébat autem, si quis ad tempus magnum quid incíperet, si non étiam in eo longanímiter perseveráret.

Psalmus. Dómini est terra.

Antiphona. Vigílias verò temperátè, & cum magna discretióne faciéndas máximè suadébat.

Psalmus. Cantáte Dómino. *i.*

Antiphona. Quadragesimáli témpore, nisi necessitáte inevitábili cogerétur, in cella júgiter morabátur.

Psalmus. Dóminus regnávit.

Antiphona. Erat quasi unus de Séraphim, quia flamma Divíni amóris incomparabíliter æstuábat.

Psalmus. Cantáte Dómino. *ii.*

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam.

℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Lectio v.

BEáti Romuáldi corpus, quod in Monastério Vallis Castri priùs fúerat cónditum, post quadringéntos & sexagínta ferè annos, apérto túmulo íntegrum fuit repértum: eáque totíus oris spécie, membrorúmque ac véstium compositióne, ut somnum plácidè capiéntis, non tanto ante témpore de-

fúncti præseférret imáginem. Non multos post annos duo Mónachi Subalpíni, de auferéndis clàm sacris Relíquiis ímpium consílium iniérunt. Mox opportunitátem nacti, noctúrno témpore véctibus & cúneis saxum moliúntur: sceierátas sancto córpori manus injíciunt, quasi íntegrum sublatúri. Sed vix commóverant, cùm carnis spécie in cínerem mox delápsa, ossa tantùm supérerant, quæ illi festinántes rapta, ac multas in partes divúlsa in saccum immíttunt, templóque egréssi, in sepósito atque inaccésso domus latíbulo ita condunt, ut omnem perquiréntium sagacitátem fállere fácilè possent.

℟. Jam miles Christi assuéto bello robústior, studébat quotídie ad majóra profícere, ac semper semetípso fórtior, * Nullas jam póterat enerváti hostis insídias formidáre.

℣. Sæpè se in figúris Æthíopum, sæpè se per diversórum animálium spécies ostendébat. Nullas.

Lectio vi.

SUmmo manè in templum revérsi primi ómnium surréptum Patris corpus exclámant: strépitu, mœróre, luctu cœnóbium totum permiscétur. Abbas cellas omnes, omnes templi ædiúmque ángulos perlustráre, cuncta rimári, excútere, sed incássum: ergo missi prótinùs qui divérsis itinéribus frustrà sacrílegos persequeréntur. Illi verò dies áliquot in cœnóbio commoráti, nocte constitúta cum rebus quibúsdam áliis è sacrário sublátis, pretiósum saccum condúcto juménto impónunt, ac Æsium versùs iter arrípiunt. Cùmque prope arcis portam ad caupónem divertíssent, ibíque sacras Relíquias in cubículo diligénter clausíssent, ut quædam ex iis divénderent, quæ postrémò substúlerant, urbem ingréssi sunt. Insígne intéreà miráculum est consecútum.

℟. Venerábilis vir dum in Sítria morarétur, per septem ferè annos inclúsus mansit, * Et siléntium contínuum inviolabíliter ténuit.

℣. Verúmtamen tacénte lingua, & prædicánte vita, vix umquam tantum in converténdis homínibus laborávit. Et siléntium contínuum.

Lectio vii.

PUer caupónis fílius óstium cubículi, in quo sancta ossa pósita erant, cùm pertransíret, lucem quamdam effulgéntem visus sibi conspícere, rimis óculos ádmovet, ac statim pertérritus, patrem magna voce ad restinguéndum incéndium, quod ingens ardéret in cubículo, plorans conclámat. Præcípitat moras pater, ínspicit per eásdem rimas, volvi flammas ad tectum videt. Dejéctis fóribus, nullum ignis vestígium, nullæ flammæ repértæ. Vilis tantùm saccus humi pósitus cernebátur, quem caupo exsólvens, ubi óssibus plenum offéndit, novo terróre percúlsus, miráculi magnitúdinem multis úndique veniéntibus narrat. Intéreà Vallis Castri Mónachi superveníunt, rem omnem ad Epíscopum déferunt. Ejus jussu sacrílegi comprehénsi, furtum confiténtur. Epíscopus cum Clero univérso, & magna insequéntis pópuli multitúdine ad caupónam se confert. Inde sanctíssima ossa in majórem Ecclésiam transláta honorífice cóllocat. Peténtibus verò Abbáte & Mónachis ea sibi ab Epíscopo & Æsínis restítui, cùm denegaréntur, res ad Picéni Legátum defértur.

℟. Fagus super virum beátum ímpetum minans aliórsum est ex Divína virtúte projécta: * Ad speciosíssimam erémum Camaldulénsem, quam ipse ædificáverat.

℣. Ut cunctis mirántibus cella omnínò remanéret illæsa. Ad speciosíssimam.

Lectio viii.

IS post multam pártium contentiónem, sanctas Relíquias, quibus abláta fúerant, restituéndas decérnit: bráchii tamen osse Æsínis concésso, quod illi summa ad hanc diem religióne venerántur. Réliquum corpus magnificentíssima pompa, in sancti Blásii ædem Fabriánum defértur: cujus celebritátis memóriam duo inter cétera illustrióres fecére. Alterum, quòd excitáta in itínere controvérsia, esset ne ad ántiquum

quum Vallis Castri monuméntum, an Fabriánum eúndum; mulus, cui sacrum onus erat impósitum nulla ádigi ratióne pótuit, ut ducéntem Fabriánum viam omítteret. Alterum, quod prídie ejus diéi, quo in óppidum tantus thesáurus illátus est: cùm sub noctem subúrbio appropinquáret, nec ullus ea de re núntius ad cives pervenísset, omnes repéntè campánæ sua ipsæ sponté ciéri cœptæ, signum públicæ felicitátis præclárum dedére. Incidit hæc translátio in diem séptimam Februárii, anni millésimi quadringentésimi octuagésimi primi. Eámque diem cùm Patres tantùm Camaldulénses solémnem ágerent: jussit póstmodùm Cleméns Octávus ut ab ómnibus, qui ad recitándas Divínas Horas tenéntur, perpétuò celebrarétur.

℟. O áureum Romuáldi sæculum, quod etsi torménta persecutórum non nóverat, * Spontáneo tamen martyrio non carébat.

℣. Aureum sæculum, quod inter móntium & silvárum feras tot cæléstis Jerúsalem cives alébat. Spontáneo.

Glória Patri. Spontáneo.

In iii. Nocturno ad Cantica, Aña. Beáta ánima in cælum rapta, supínum jacére sanctum cadáver invéniunt.

Canticum. Beátus vir, qui in sapiéntia, *cum reliq. de Communi unius Mart.*

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus.

℟. Et non supplantabúntur gressus ejus.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio ix. *Cap. 19.*

IN illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, & secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homilía S. Joánnis Chrysóstomi.

Ex Homilia 65. in Matthæum, in initio & infrà.

QUænam sunt hæc ómnia, quæ te dicis, beatíssime Petre, reliquísse? Arúndinem, rétia, navículam, univérsúmque piscatórum artifícium: hæc tu ómnia vocas? Ita, inquit, sed non ambitióne quadam, aut ináni glória, verùm ut páuperum plebem hac interrogatióne introdúcam. Nam quóniam à Dómino dictum est: Si vis perféctus esse, vende quæ habes, & distríbue paupéribus, & habébis in cælo thesáurum: ne quis páuperum opinétur, non posse ad perfectiónem se perveníre, cùm non hábeat, quæ paupéribus ófferat: quærit Petrus, ut tu discas nihil minus propter inópiam habitúrum.

℟. Cùm finem suum imminére conspíceret, * Tandem ad Monastérium, quod in Valle de Castro constrúxerat, rédiit.

℣. Vigínti annis antè prædíxerat, quia in prædícto loco oportéret eum quiéscere, & nullo astánte spíritum exhaláre. Tandem.

Lectio x.

QUærit, inquam, Petrus, ne si id à Petro percíperes, præsértim cùm adhuc spíritus grátiæ non abundáret, ambiguitáte perpléxus jacéres, sed ut ab ipso ejus Magístro prolata senténtia firma spe roboréris. Nam quemádmodum étiam nos pro áliis disputámus, sic Apóstolus quoque ad univérsi Orbis cómmodum non dubitávit interrogáre. A superióribus enim patet, nihil de se ipso ambiguísse; qui enim ipsórum cælórum claves suscépit, quantò magis de céteris, quæ in cælo sunt, confideret? Tu autem illud diligénter expénde, quàm exquisítè duo illa, quæ Christus à divite pétiit, ut scílicet paupéribus substántiam distribúeret suam, & Christum sequerétur, bréviter compléxus est, dicens: Relíquimus ómnia, & secúti sumus te.

℟. Cùm cœpísset ejus corpus magis magísque moléstiis ingravéscere, * Nóluit tamen vir sanctus in lecto decúmbere.

℣. Neque acquiévit sóliti rigórem jejúnii, quantum póterat, relaxáre. Nóluit tamen vir.

Lectio xi.

AMbo enim hæc facta jam erant. Nam sua relíquerant, ut ipsum sequeréntur, & eò quòd ómnia reliquérunt, sequi facíliùs potuérunt: & quóniam reliquérunt, confídere, atque gaudére ipsos admonébat. Quid ígitur Chri-

Christus respóndet? Amen dico vobis: quia vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cùm séderit Fílius hóminis in throno majestátis suæ, sedébitis & vos super duódecim sedes, judicántes duódecim tribus Israel. An ígitur & Judas sedébit? mínimè. Quómodo ígitur in duódecim sédibus sedébunt? quómodo pollicitátio hæc adimplébitur? atténde quómodo, & qua ratióne lex est à Deo per Jeremíam pomulgáta, in qua hæc continéntur: Ad summum loquar super gentem, & super regnum, ut áuferam, & perdam: & si convertétur gens illa à malis suis, me quoque pœnitébit à malis, quæ cogitávi eis fácere.

℟. Post legítimos labóres exáctos, tandem felíciter requiévit, * Et solitáriam vitam solitário fine conclúsit.

℣. Nimírum qui sic óbiit, ut prædíxit, illuc tránsiit, quò sperávit. Et solitáriam vitam.

Lectio xii.

Pariter enim, inquit, tam in bonis, quàm in malis id fácere sóleo. Si enim restauratúrum me díxero, non fáciam; scílicet, si quis indígnum se hac pollicitatióne præbúerit: quod primo conféstim hómini áccidit. Tremor enim vester & timor, ait, erit super feras: quod è contrário fíeri vidémus, quia vidélicet indígnum se homo tali præbuit principátu: sic étiam Judas. Nam ne punitiónum terróre indesperatiónem nonnúlli compúlsi, durióres ad virtútem fiant, aut bonórum pollicitatiónibus in desídiam dilabántur, útraque ista per Jeremíam córrigit, dicens: Et si minátus fúero, non diffidas: potes enim pœniténtiam ágere, & senténtiam meam, sicut Ninivítæ, convértere: & si áliquod bonum promíttam, propter promissiónem non supínus sis & piger.

℟. Inclyte conféssor Christi Romuálde, Camaldulénsium Pater & Dux intercéde pro nostra, omniúmque salúte: * Ut tuis adjúti précibus regna cæléstia consequámur.

℣. Militántibus sub tua sancta disciplína, pia intercessióne súbveni. Ut. Glória Patri. Ut.

Evangelium ut in Communi Abbatum.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

Inventa solitúdine Romuáldus adoléscens dicébat intra se: O quàm benè póterant Eremítæ in his némorum recéssibus habitáre!

Psalmus. Dóminus regnávit, *cum reliq.*

Antiphona. Ubicúmque per silvas amœnum locum reperíre póterat, mox se ad Erémi desidérium ejus ánimus accendébat.

Antiphona. Mens ítaque ejus cælitus inspiráta jam divinabátur in amóre, quod impletúrus erat póstmodum ópere.

Antiphona. Verè Angelus Dei, verè Prophéta sanctus, & lux magna occúlta Mundo in finibus nostris appáruit.

Antiphona. Grátias ágimus tibi omnípotens Deus, qui regiónem nostram splendóre tanti síderis illustráre dignátus es.

Capitulum. Diléctus Deo, *ut suprà in primis Vesp.*

℟. *brev.* Amávit eum Dóminus, * Et ornávit eum. Amávit.

℣. Stolam glóriæ índuit eum. Et ornávit. Glória Patri. Amávit eum.

Hymnus.

Lucis aspéctus dúbiè refúlgens
Incipit noctis ténebras fugáre,
Lúcidas celsi Pater almus ædes
Intrat Olympi.
Ante bis denos óbitum diémque
Prævidens annos réferat locúmque,
Et sacro tempus sátagit suprémum
Cláudere fine.
Lustra bis vitæ duodéna mensus
Et Deo centum famulátus annos,
Claustra tres inter, reliquósque vastas
Inter erémos;
Plenus in cælum próperat diérum,
Spíritus cujus nive puriórem,
Ante conspéctum Súperum Paréntis
Angelus offert.
Omnium gaudet prócerum corónis,
Angeli pura spécie refúlget,
Et Prophetárum frúitur per alta
Regna decóre.
Mártyrum palmas rapit absque ferro,

Utque

Utque Conféssor rútilat, catérvis
Vírginum septus, nívei pudóris
Præmia sumit.
Dive quos liquit tua magne virtus,
Da sequi nobis mónitus, tuísque
Gréssibus nostras vígili labóre
Júngere plantas.
Glóriam Patri tribuámus omnes,
Glóriam Christo, mémores salútis,
Glóriam sancti tibi concinámus
Ignis amóris. Amen.

℣. Ora pro nobis beáte Pater Romuálde.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Benedictus, Antiphona.

Desósso post quinquénnium túmulo sancti Viri corpus sanum illibatúmque repériunt, velut tunc súerat, cùm sepultúræ illud prímitùs tradidérunt.

Oratio.

FAmíliam tuam, quæsumus Dómine, beáti Romuáldi patrocínio confidéntem propítius réspice: ut quem magístrum vitæ sibi delégit in terris, eúmdem apud Majestátem tuam intercessórem habére mereátur in cælis. Per Dóminum nostrum.

Ad Tertiam, Antiphona. Ubicúmque.
Capitulum. Diléctus Deo, *ut suprà.*
℣. Amávit eum, *ut suprà.*

Ad Sextam, Antiphona. Mens ítaque ejus.

Capitulum. *Eccli. 45.*

GLorificávit eum in conspéctu Regum, & jussit illi coram pópulo suo, & osténdit illi glóriam suam.
℣. Os justi, *ut suprà.*

Ad Nonam, Antiphona. Grátias ágimus.

Capitulum, *Eccli. 45.*

IN Fide & lenitáte ipsíus sanctum fecit illum, & elégit eum ex omni carne.
℣. Lex Dei ejus, *ut suprà.*

Ad Vesp. omnia ut in i. Vesp.

Ad Magnificat, Antiphona.

Inter vivos cæléstis Jerúsalem lápides ineffabíliter rútilat, cum ignítis beatórum Spirítuum turmis exúltat, candidíssima stola immortalitátis indútus ab ipso Rege regum vibránte in perpétuum diádemate coronátur.

Oratio ut suprà.

Deinde fit commemor. S. Joannis de Matha, ut in Breviario.

DIE VIII. FEBRUARII.

In festo S. Joannis de Matha Confessoris. Duplex.

Omnia ut in Brev. cum commemor. Octav. S. P. N. Romualdi in Laud. Antiphona. Desósso. ℣. Ora pro nobis. *Oratio.* Famíliam.

In ii. Vesp. à Cap. de seq. cum commemor. praced. & Octav. S. P. N. Romualdi, Antiphona. Inter vivos. ℣. Ora pro nobis. *Oratio.* Famíliam.

Deinde S. Apolloniæ ut infrà.

DIE IX. FEBRUARII.

In festo sancti Raynaldi Episcopi & Confess. Duplex.

Omnia de Communi Confess. Pontif. primo loco.

In Hymno, Iste Conféssor, *mutatur tertius Versus.*

Et fit commem. S. Joannis de Matha, Antiphona. Hic vir. ℣. Justum dedúxit. *Oratio.* Deus, qui per S. Joánnem, *ut in Brev. Deinde Oct. S. P. N. Romualdi, Antiphona.* Inter vivos. ℣. Ora pro nobis. *Oratio.* Famíliam, *ut suprà.*

Posteà S. Apolloniæ Virg. & Martyr. Antiphona. Veni sponsa. ℣. Spécie tua. *Oratio.* Deus, qui inter cétera, *& de ea legit. xii. Lect.* Apollónia Virgo &c. *ut in Brev. nisi incidat in Dominicam.*

In Laud. fit commemor. Oct. S. P. N. Romualdi, Antiphona. Desósso. ℣. Ora pro nobis. *Oratio.* Famíliam, *ut sup. & S. Apolloniæ, Antiphona.* Símile est. ℣. Diffúsa est. *Oratio, ut suprà.*

Vesperæ de S. Scholastica Virg. cum commem. S. Raynaldi tantùm.

DIE X. FEBRUARII.

In festo sanctæ Scholasticæ Virginis. Duplex secundæ classis cum Octava.

Omnia ut in Brev. sine commem. Oct. S. P. N. Romualdi in i. Vesper. & Laudibus.

In ii. Vesp. fit commem. Oct. S. P. N. Romualdi, ut suprà.

DIE XI. FEBRUARII.

Quinta die infra Octav. S. P. N. Romualdi.

Invitatorium & Hymnus, ut in die Festi.

In primo Nocturno, Antiphona. Ut beátum Apollinárem vídero, apud sæculum ultériùs non manébo.

Psalmi Feriales.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. 1. de S. Victore.

Lectio i.

SAncti Romuáldi vita & glória speciális, non tam ad glóriam, quàm ad virtútem próvocat omnes, qui recto sunt corde. Non recti planè, sed pervérsi est ánimi, ante quærere glóriam, quàm exercére virtútem; & velle coronári, qui legítimè non certáverit. Vanum est vobis, inquit, ante lucem súrgere. Ita est: frustrà ad celsitúdinem nítitur glóriæ, qui priùs non cláruit virtúte. Frustrà fatuæ Vírgines spónso óbviàm surgunt, quarum lámpades extinguúntur: & ídeò fátuæ, quia vácuis gloriántur lampádibus, virtútis óleum non habéntes.

Lectio ii.

VIrtus, gradus ad glóriam: virtus, mater glóriæ est. Fallax glória, & vana est pulchritúdo, quam illa non parturívit. Sola est, cui glória jurè debétur, & secúrè impénditur. Sancto Romuáldo nec virtus, nec glória deest: sed quemádmodum ambæ res, & quo órdine in hómine processérunt, id óperæ prétium intuéri. Habémus enim, dilectíssimi, in vita Romuáldi & quod dignè mirémur, & quod salúbriter imitémur. Tútiùs sanè æmulánda solidióra, quàm sublimióra, & quæ magis virtútem redóleant, glóriam minùs. Studeámus proínde móribus conformári, cui in mirabílibus similári etsi vólumus, non valémus.

Lectio iii.

ÆMulémur in viro sóbrium victum, devótum affectum; æmulémur mansuetúdinem spíritus, castimóniam córporis, oris custódiam, ánimi puritátem, pónere frænum iræ & modum linguæ, dormíre párciùs, oráre frequéntiùs, commonére nosmetípsos psalmis, hymnis, & cánticis spirituálibus, diébus júngere noctes, & divínis láudibus occupáre; æmulémur charísmata melióra. Æmulémur, inquam, quòd éxtitit liberális in páuperes, pátiens ad peccántes, benígnus ad omnes. Hoc enim mélius. In his forma est, cui imprimámur: in miráculis glória à qua reprimámur. Illa lætíficent, ista ædíficent; móveant illa, ista promóveant.

In secundo Nocturno, Antiphona. Dum própriam emendáre vitam Mónachi despíciunt, de corripiéntis morte tractáre cœpérunt.

Psalmi Feriales.

Capitulum. *Eccli. 45.*

GLorificávit eum in conspéctu regum, & jussit illi coram pópulo suo, & osténdit illi glóriam suam.

℣. Justus germinábit sicut lílium.

℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Oratio. Famíliam tuam, *ut suprà.*

Ad Laudes & alias Horas, omnia ut suprà in die Festi; & sic dicitur per totam Octavam; & fit commemor. Octav. S. Scholasticæ, sicut etiam in Vesperis.

DIE XII. FEBRUARII.

Sexta die infra Octavam S. P. N. Romualdi.

In primo Nocturno, Antiphona. Accénso mentis desidério cœpit de virtútibus in virtútes mirabíliter créscere.

Psalmi Feriales.

De Sermóne S. Bernárdi Abbátis.

Serm. 2. de S. Victore.

Lectio i.

GAudéte in Dómino, dilectíssimi, qui inter contínua suæ pietátis benefícia indúlsit hóminem mundo, cujus multi salvaréntur exémplo. Iterùm dico gaudéte, quòd factus de médio appropriávit Deo, ut multò plures ejus intercessióne salvéntur. In terris visus est, ut esset exémplo: in cælum levátus est, ut sit patrocínio. Hìc infórmat ad vitam, illìc invítat ad glóriam. Factus est mediátor ad regnum, qui fuit incitátor ad opus. Bonus mediátor,

qui sibi jam póstulans nihil, totum in nos transférre desíderat, & supplicántis affèctum, & supplicatiónis fructum. Quid enim quærat sibi, qui nullius eget?

Lectio ii.

HÆc dies gloriósæ migratiónis ejus, dies lætítiæ cordis ejus: exultémus, & lætémur in ea. Introívit in poténtias Dómini, gaudeámus quia nunc poténtior est ad salvándum. Hódie Romuáldus pósito córpore, tantò alácrior, quantò expedítior penetrávit in Sancta, & símilis factus in glória Sanctórum. Hódie despécto mundo, & mundi príncipe triumpháto, supra mundum victor ascéndit, accípiens de manu Dómini corónam victóriæ. Ascéndit autem cum imménsa supelléctili meritórum, clarus triúmphis, miráculis gloriósus. Sedet veteránus miles, débita jam suavitáte & securitáte quiétus: secúrus quidem sibi, sed nostri sollícitus. O venerándam étiam ipsis Angelis sanctitátem, quam pari stúdio, etsi díspari voluntáte, & mali fúgitant, & frequéntant boni. Nec fácile díxerim quid virum ástruat sanctiórem, horum favor, aut pavor illórum.

Lectio iii.

O Miles emérite, qui christiánæ milítiæ duris labóribus Angélicæ felicitátis réquiem commutásti: réspice ad imbélles & imbecílles commilitónes tuos, qui inter hostíles gládios & spirituáles nequítias tuis láudibus occupámur. Quàm pium, quàm dulce, quàm suáve, o Romuálde, in hoc loco afflictiónis, & in hoc córpore mortis te cánere, te cólere, te precári. Nomen tuum & memoriále tuum, favus distíllans in lábiis captivórum, mel & lac sub lingua eórum, qui tui memória delectántur. Eja ergo fortis athléta, dulcis patróne, advocáte fidélis, exúrge in adjutórium nobis; ut & nos de nostra ereptióne gaudeámus, & tu de plena victória gloriéris.

In secundo Nocturno, Antiphona. Marínus quoque gaudébat beáto Romuáldo esse devótus, cui nuper ipse fúerat Prælátus.

Psalmi Feriales.

In Laud. fit commem. Oct. S. Scholasticæ.

Vesperæ de S. Gregorio II. P. C. cum commemor. Oct. S. P. N. Romualdi, ut suprà, & S. Scholasticæ, ut in Brev.

DIE XIII. FEBRUARII.

In festo S. Gregorii II. Pontif. & Confessoris. Duplex.

Omnia ut in Brev. cum commem. Oct. S. P. N. Romualdi, & S. Scholasticæ in Laudibus.

Vesp. à Cap. de die Oct. S. P. N. Romualdi, cum commem. S. Gregorii, & Oct. S. Scholast. ac S. Valentini Presb. & Mart.

DIE XIV. FEBRUARII.

In Octava S. P. N. Romualdi Abbatis. Duplex.

Omnia ut in die Festi, præter Lectiones, ut infrà.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente, quæ si non occurrant, legantur de Libro Ecclesiastici, Laudémus viros gloriósos, *ut in die Festi.*

In secundo Nocturno, Lectiones ex libro Moralium S. Gregorii Papæ. Deridétur justi simplícitas, *ut in Communi Confess. non Pontif. secundo loco.*

In tertio Nocturno, Homilia Venerabilis Bedæ Presbyteri in Evang. Ecce nos relíquimus ómnia *ut in Conversione S. Pauli Apost. die xxv. Januarii.*

In Laudibus fit commem. Oct. S. Schol. & S. Valentini Martyr. ut in Breviar.

In ii. Vesp. commem. Octavæ S. Scholasticæ, & SS. Faustini & Jovitæ Fratrum Martyrum, ut in Brev.

DIE XXIII. FEBRUARII.

In festo S. Petri Damiani Episcopi & Confess. Duplex.

Vesperæ de Cathedra S. Petri, cum commem. S. Pauli, & S. Petri Damiani, Antiphona. Sacérdos & Póntifex. ℣. Amávit eum. ℟. Stolam glóriæ, *de Communi Confess. Pontif.*

Oratio.

DEus totíus sanctitátis & sapiéntiæ fons & orígo, fac nos quæsumus beáti Petri Damiáni Confessóris tui atque Pontíficis exémplis doctrinísque profícere: ejúsque méritis & intercessióne concéde, ut contémptis mundáni honóris illécebris, tibi so-

bi soli vacáre possímus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

In primo Noct. Lect. de Script. occurr. Si autem occurrat in Quadrag. Lectiones. Fidélis sermo, *ut in Communi Confessoris Pontif.*

In ii. Nocturno. Lectio v.

PEtrus Ravénnæ honéstis paréntibus natus, sed à matre numerósam prolem pertæsa derelíctus, extráneæ mulíeris ópera semivívus collígitur, fovétur, & recreátur, ac genitrícis ubéribus increpáta illíus sævítia restitúitur: mox utróque orbátus parénte, fratris aspérrimi tutélam súbiit, sub quo tamquàm vile mancípium, sórdido victu & vestitu in abjectíssimis officiis duram servitútem exércuit. Máxima vel tum relígio & píetas in eo elúxit, dum repértam fortè pecúniam, non própriæ inédiæ sublevándæ, sed Sacerdóti, qui sacrifícium ad expiatiónem suórum paréntum offérret, addícere máluit: ab áltero fratre Damiáno Archipresbytero, ex quo sibi deínceps cognoméntum assúmpsit, tandem benígnè suscéptus, Faventiam primùm, deínde Parmam ad litterárum stúdia missus, brevì ádeò profécit, ut ipsis magístris esset admiratióni, & sui sæculi eloquentíssimus hábitus, Rhetóricam apud frequentíssimos Auditóres magno plausu exposuérit. Cilíciis ínterim, vigilíisque corpus dómans, libídinum faces fluviálibus aquis mersus restinguébat: sacrísque peregrinatiónibus insístens, largis eleemósynis páuperum inópiam sublevábat, quos étiam ad suæ mensæ consórtium adhibére, ipsísque ministráre sæpiùs consuévit. ℟. Invéni David.

Lectio vi.

MAjóris perfectiónis desidério succénsus Monásticum Institútum in Avellenénsi Cœnóbio apud Cátriam, ubi & sanctus Romuáldus habitáverat, ac per beátum Lodúlphum discípulum suum, cum plúribus sanctióris vitæ ascétis floréntem solitúdinem fundáverat, lætus arrípuit; quod multis póstmodum Erémis ac Cœnóbiis instrúctis, mirificè dilatávit. Véstium nitórem vel à primi tyrocínii sui annis ádeò exórruit, ut à Magistro ad sancti Vincéntii Monastérium, ubi vitam sancti Romuáldi ex ipsíus discípulis scríbere dídicit, aliquándo missus, candidiórem túnicam, qua indútus erat, cum vilióri commutáverit: métuens, ne ab ómnibus sponsi pótiùs, quàm Mónachi nómine appellarétur. Reguláris officii signa prævéniens ob nímias vigílias in morbum íncidit, nec tamen addúci pótuit, ut ínterim consuétam cárnium abstinéntiam relaxáret; sed divínitùs convaléscens, discretióne adhíbita, sacris invigiláre stúdiis, ac Divinárum Scripturárum sciéntia præfulgére máximè cœpit. ℟. Pósui adjutórium.

Lectio vii.

EJus doctrínæ & sanctitátis fama pervagánte, à Stéphano ejus nóminis Nono Románo Pontífice Cardinális Hostiénsis Epíscopus, licèt relúctans, adléctus est. Quo in múnere ex obediéntia suscépto, summa vigilántia commíssum sibi gregem eloquentíssimis sermónibus ad pietátem compónere máximè stúduit. Viduárum & Pupillórum cura suscépta, Ecclesiásticos provéntus in eórum cómmodum erogábat. Duódecim Paupéribus quotídie minístrans, in pelvícula, ubi eórum pedes ablúerat, cibum ipse sumébat, super nudum cratem brevíssimo somno conténtus. Tandem amíssam contemplatiónum suárum quiétem ingemíscens, Cardinalítia & Episcopáli dignitáte abdicáta, se ad diléctam solitúdinem recépit, impósitam sibi ob id à Pontífice pœniténtiam centum annórum alácriter implens, variísque exémplis & ratiónibus factum excúsans, ut propósiti sui retinéndi véniam impetráret. Interim assíduis vigíliis & carnis maceratiónibus seníle corpus, váriis férreis néxibus úndique constríctum, attérere non déstitit. Quadragésimæ témpore nil coctum accípiens, pomísque tantum absque ullo potu conténtus, ob nímiam imbecillitátem áliquid infúsi legúminis coáctus est sibi indulgére; in utriúsque tamen Quadragésimæ inítio triduánam ab omni pénitùs cibo abstinéntiam servábat. ℟. Iste est qui ante Deum.

Le-

Lectio viii.

VAriis Pontificiis legatiónibus, tum ante, tum post abdicatiónem suam fungi jussus est, quibus à Nicolaitárum hæresi & simoníaca labe purgátam Mediolanénsem Ecclésiam Románæ Sedi reconciliávit; Monastérii Cluniacénsis immunitátem asséruit. Henrícum Tértium Imperatórem ab uxóris præténso divórtio, & Ecclesiásticæ libertátis impugnatióne detérruit. Ravennátes, qui Archiepíscopo suo advérsus Románum Pontíficem insurgénti adhæserant, ad offícium revocátos, à censúris absólvit. Jejúnium sextæ Fériæ, & horárias beátæ Vírginis preces, ejúsque Sábbati cultum, ac fériæ secúndæ Purgántium Animárum expiatióni addíctæ consuetúdinem propagávit, necnon inferéndæ sibi disciplínæ more suo, & discípuli sui beáti Domínici Loricáti Prióris Sisui beáti Domínici Loricáti Prióris Sitriæ exémplo máximè promóvit. Cadoláo Antipápæ Ecclésiam vexánti fórtiter réstitit, ejúsque depositiónem intra annum futúram prædíxit. Aquam bis in vinum convértit. In summa panis inópia cibos sibi cælitùs afferéndos prævídit. Cliéntes suos sæpius à perículis liberávit, aliísque miráculis cláruit. Demùm sanctitáte & doctrina clarum, cùm innúmeris labóribus, scriptísque præstantíssimis Ecclésiam illustrásset, Favéntiæ octávo Kaléndas Mártii migrávit ad Dóminum; ab eádem urbe, ubi sacrum ejus corpus in Ecclésia beátæ Maríæ, miráculis clarum quiéscit, in Patrónum eléctus, cùm ejus præsídium in difficíllimæ obsidiónis liberatióne fuísset expérta.

℟. Justum deduxit.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papæ in Evangel. Homo péregrè proficíscens, *de eodem Communi cum xii. Lectione de Homilia in Evangel.* Hoc est præcéptum meum, *de Communi Apostolorum pro Vigilia: vel de Feria, si celebretur in Quadragesima.*

In Laudibus commem. Vigiliæ S. Mathiæ, Antiphonis & Vers. de Psalter. Orat. Da quæsumus omnípotens Deus, *de Communi in Vigilia Apostolorum, nisi venerit in Quadragesima, de qua tunc nihil fit.*

Vesperæ de S. Mathia Apostolo cum commemor. præced. Antiphona. Amávit eum Dóminus. ℣. Justum dedúxit. ℟. Et osténdit, *de Communi Confessoris Pontif.*

Oratio. Deus totíus sanctitátis, *ut sup.*

DIE XIII. MAJI.

In festo B. Fortis Confess. Semidupl. Omnia de Communi secundo loco, mutatur tertius Vers. Hymni.

DIE XII. JUNII.

Festum S. Parisii Confessoris, duplex, transfertur post Festum SS. Trinitatis; ac proinde ejus Officium recitandum ex parte Æstiva.

OFFICIUM
S. P. N. ROMUALDI
ABBATIS

Recitandum qualibet Feria tertia non impedita Festo duplici à Monachis, Eremitis, ac Monialibus Ordinis Camaldulensis sub Ritu Semiduplici.

Ex indulto SS. P. D. D. N. CLEMENTIS PAPÆ X.

IN I. VESPERIS.

Antiphona. Dómine, quinque taléńta, *ut in Communi Confessoris non Pontificis.*

Capitulum. *Eccli.* 31.

BEátus vir, qui invéntus est sine mácula: & qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia & thesáuris. Quis est hic, & laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua.

℞. Deo grátias.

℞. *breve.* Os justi, * Meditábitur sapiéntiam. Os justi.

℣. Et lingua ejus loquétur judícium. Meditábitur.

Glória Patri. Os justi.

Hymnus. Iste Conféssor, *ut in Communi Confess. non Pontif.*

℣. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum. ℞. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Chare Jesu, benígne Jesu, mel meum dulce, desidérium ineffábile, dulcédo Sanctórum, suávitas Angelórum! æstuans inenarrábili Divíni amóris ardóre clamábat.

Oratio.

FAmíliam tuam, quæsumus Dómine, beáti Romuáldi patrocínio confidéntem propítius réspice: ut quem Magístrum vitæ sibi delégit in terris, eúmdem apud Majestátem tuam intercessórem habére mereátur in cælis. Per Dóminum nostrum.

Inter Commem. pro S. P. Benedicto, Aña. Sanctíssime Conféssor, *ut in Brev.*

Ad Matutinum, Invitatorium. Regem Confessórum Dóminum, * Veníte adorémus.

Hymnus, Antiphonæ, Psalmi, & ℣. Nocturnorum de Communi Confess. non Pontificis.

Lectiones primi Nocturni in hieme de Scriptura, ut in Breviario, ℞. *de de Communi Confess. non Pontif.*

In Æstate in primo Nocturno Lect. de libro Ecclesiastici de Communi Confess. Pontificis. Laudémus viros gloriósos.

In ii. Nocturno Antiphonæ, Psalmi, & ℣. de Communi Confess. non Pontif. Lect. ii. Nocturni de S. Petro Damiani, ut infrà in quolibet mense dispositæ. ℞. *de Communi Confessoris non Pontificis.*

In iii. Noctur. Homilia S. Hieronymi Presbyteri in Evangel. Ecce nos relíquimus ómnia, *ut in Communi Abbatum.*

Nona Benedictio. Cujus commemoratiónem cólimus.

Ad Laudes, Antiphona. Dómine, quinque talénta.

Capitulum. Beátus vir.

℞. *breve.* Amávit, *de eodem Communi.*

Hymnus.

JEsu coróna célsior,
Et véritas sublímior,
Qui confiténti sérvulo
Reddis perénne præmium:
Da supplicánti cœtui,
Obténtu hujus óptimi,
Remissiónem críminum,
Rumpéndo nexum vínculi.

Votí-

Votíva lux recólitur,
Qua nos Paréntis ínclyti.
Dignis repénsa láudibus
Ad alta virtus évocet.
Hic vana terræ gáudia,
Et luculénta prædia,
Pollúta sorde députans,
Ovans tenet cæléstia.
Te, Christe Rex piíssime,
Hic confiténdo júgiter
Calcávit hostem fórtiter,
Supérbum ac satéllitem.
Virtúte clarus & Fide,
Confessiónis órdine:
Jejúna membra déferens,
Dapes supérnas óbtinet.
Proínde te piíssime,
Precámur omnes súpplices;
Ut hujus Almi grátia
Nobis remíttas débita.
Glória Patri Dómino,
Glória Unigénito,
Unà cum Sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.

℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Benedictus, Antiphona. Euge serve bone, *ut in Communi Confessor. non Pontific. Oratio.* Famíliam tuam, *ut suprà.*

Ad Laudes pro commemor. S. P. Benedicti, Antiphona. O beáti viri, *ut in Breviario.*

Ad Horas omnia ut in Breviario de Communi.

In ii. Vesperis, omnia de Communi, præter Antiphona ad Magnificat, cujus loco dicitur sequens. Inter vivos cæléstis Jerúsalem lápides ineffabíliter rútilat, cum ignítis beatórum Spirítuum turmis exúltat, candidíssima stola immortalitátis indútus, ab ipso Rege regum vibránte in perpétuum diadémate coronátur.

Oratio. Famíliam tuam.

Commemoratio pro S. P. Benedicto, ut suprà in i. Vesperis.

MENSE JANUARII.

Omnia ut suprà, præter Lectiones Secundi Nocturni quæ dicuntur ut infrà; & sic in aliis mensibus.

Ex sancto Petro Damiani tom. II. vita S. P. N. Romualdi, cap. 1. *Lectio v.*

ROmuáldus Ravénnæ, Sérgio patre, ex illustríssima Ducum fuit stirpe prógénitus. Cùm ad adolescéntiam perveníßet, non léviter à sensus illécebris alléctus, devótè se Deo comméndans, hujúsmodi láqueos declináre satagébat. Et si aliquándo venatiónis stúdio incúmbens per silvas locum amœnum reperíßet, totus ad erémi desidérium accénsus in eremíticas laudes prorumpébat. Cùm autem ejus pater Mundo veheménter inténtus, advérsus propínquum suum inimicítias exarcéret, eúmque tandem violénter de médio sustulíßet: Romuáldus licèt nullum perémpto vulnus intulíßet, quia tamen neci interfúerat, tanti reátus dolóre corréptus, pœniténtiæ causa ad Classénse monastérium beáti Apollináris se cóntulit, homicidárum more diébus quadragínta in lúctibus permansúrus, ibíque distrícta pœniténtia se júgiter mácerans. Tandem Sæculi voluptátibus ac Mundo renúntians strictiórem vivéndi formam ampléxus est.

Lectio vi. *Cap. 2. & 3.*

CUm enim Fratrem de Sæculi contémptu sæpiùs audíret, & beáti Apollináris semel atque íterùm visióne confortátus, quadam die juxta consuetúdinem oratióni incúmberet, tanto Divíni amóris igne illíus mentem Spíritus Sanctus accéndit, ut in fletum prorúmpens, úberes lacrymárum rivos restínguere non valéret; monachórum se pédibus prostrátus advólveret, tradi sibi monásticum hábitum inenarrábili desidério flagitáret. Illis verò ob durítiam ejus patris hoc differéntibus, Honéstum Ravennaténsem Antístitem, qui ánteà cœnóbii Classénsis Abbas fúerat, ádiit, & ab eo, ut à Frátribus in collégium adscisceretur, impetrávit. In quo monastério triénnium ferè transégit, ibíque cúpiens árduam perfectiónis sémitam arrípere, quam quidam ex illis remissiùs calcábant, quos & sæpè corrigé-

rigébat, eórum incúrrit indignatiónem.

Lectio vii. *Cap.* 4.

DUcébat tunc témporis eremíticam vitam in Venetórum fínibus beátus vir Marínus, ad quem Romuáldus se cóntulit, & sub illíus regímine dégere instítuit. Fulgébat autem Marínus, inter céteras virtútes, ánimi simplicitáte, & sinceríssima puritáte. Psaltérium per síngulos dies totum canébat, rúditer tamen: & plerúmque de cella cum discípulis éxiens per latitúdinem erémi psalléndo spatiabátur. Romuáldus autem, quia Sæculum idióta relíquerat, apérto Psaltério vix suórum vérsuum notam syllabátim explicáre valébat. At Marínus virgam in déxtera gerens Romuáldo è divérso sedénti siníſtram cápitis partem sæpíssimè verberábat. Quaprópter Romuáldus post multa, gravi ádmodum necessitáte compúlsus, humíliter ait: Magister si placet à dextro me deínceps témpore pércute, quia lævæ auris audítum jam fúnditùs perdo. Tunc ille tantam ejus patiéntiam admirátus, indiscrétæ severitátis disciplínam temperávit.

Lectio viii. *Cap.* 5. & 6.

PEtro ex Duce Dalmátiæ, & Joánne Gradónico illíus familiaríssimo, ejus & Maríni ópera Mónachis factis, & ad perferéndum cum ipsis solitúdinis rigórem adjúnctis, Romuáldus accénso mentis desidério cœpit de virtútibus in virtútes mirabíliter crescére, & réliquos Fratres sanctæ conversatiónis gréssibus lóngiùs anteíre; ut jam quidquid inter Fratres sive de spirituálibus, sive de corporálibus ipse decérneret, cunctis acceptántibus ejus omnínò senténtia prævaléret. Quin ipse quoque Marínus gaudébat esse Romuáldo devótus, cui fúerat paulò ante prælátus. Admirábilis namque abstinéntiæ per annum contínuum in síngulos dies ex uno pugíllo elíxi cíceris vixit. Tribus verò annis ipse & Joánnes Gradónicus sárculis terram frangéntes, & tríticum seminántes, ex mánuum suárum labóre vixérunt; qui dum agricultúram exercébant, pondus jejúnii duplicábant.

MENSE FEBRUARII.

In secundo Nocturno.

Lectio v. *Cap.* 7.

NOn défuit diábolus beátum Romuáldum váriis tentatiónibus, inítio præsértim conversiónis agitáre; magnificándo scílicèt glóriam Sæculi, quam relíquerat, & nullíus mériti, quæ in Religióne sufferébat, accusándo, multorúmque labórum horrórem incútiens, in longæ vitæ spátio, quod promittébat, sæpè céllulam ejus percútiens, cùm adhuc vix obdormíret, eum excitábat, & quasi jam imminénte crepúsculo per totam noctem vigilándo dedúxit. Per contínuum ferè quinquénnium super pedes ejus, & crura noctúrno jácuit témpore, & ne huc illúcque fácilè se vérteret, typo phantástici pónderis aggravávit. Túrpibus étiam visiónibus aggrediebátur, quos tamen iníquos spíritus duríssimis increpatiónibus effugábat, & Fídei armis se accíngens, provocántibus hóstibus in campum obviáre se promptum offerébat.

Lectio vi. *Cap.* 8. & 9.

QUíndecim annis per totam hebdómadam, excéptis Sábbatis & Domínicis diébus jejunávit, deínde juxtà statúta à beáto Silvéstro remissiónem Sábbati in quintam fériam commutávit, quod jejúnii genus eremíticæ vitæ sectatóribus indíxit. Licèt autem ipse diem sæpíssimè absque ullo cibo transígeret, id tamen áliis omnínò prohibébat, dícere sólitus ad perfectiónem tendénti, hoc summè congrúere, ut quotídie cómedat, & semper esúriat. Vigílias cum discretióne faciéndas persuadébat, licèt somnum in tantum exósum habéret, ut illud gravíssimè punÍret. Dicébat étiam mélius esse unum Psalmum ex corde cánere, quàm centum cum mentis fabulatióne percúrrere. Hanc tamen grátiam non habéntes hortabátur nequáquam desperáre, neque ab ipsa corporáli exercitatióne tepéscere, donec ipse, qui voluntátem dedit, tríbuat aliquándo facultátem. Tantúmmodò adjíciens oratiónis incénsum,

sum, mentis inténtio in Deum semel fixa custódiat, quod extérius véniens cogitatiónum aura pertúrbat: ubi enim est inténtio recta, contra voluntátem cogitátio véniens, non est nímiùm formidánda.

Lectio vii. *Cap.* 10.

DUm in Gálliæ finibus morarétur, quemdam agrícolam familiárem habébat, qui sibi in his, quibus in cel la opus erat, aliquándo inserviébat, & quod ei oppórtunum nóverat, dítior charitáte, quàm rebus, de suæ paupertátis inópia hiláriter ministrábat. Hujus vaccam Comes quidam supérbus ímpetu barbárico rápuit, ejus carnes parári sibi in prándium præcépit. Sanctus ítaque Romuáldus ad eúmdem Cómitem cóncito gradu núntium misit, ut páuperi ánimal rédderet, humíllima supplicatióne depóscens. Cujus preces protérvo spíritu Comes réspuit. At vix primùm dicti animális jam paráti ad edéndum frustum in os suum immísit, quòd repéntè in illíus gútture immobíliter hæsit, ita ut interclúso spirámine, terríbili morte necátus fit.

Lectio viii. *Cap.* 11. 12. & 13.

ALius verò Comes, Olíbanus nómine, multis culpárum pondéribus gravátus, sancti Romuáldi suasiónibus cedens, montem Casínum ádiit, & in monastério sancti Benedícti Divíno servítio se irrevocabíliter mancipávit. Intérim Sérgius sancti Romuáldi Pater mónachus efféctus, aliquántò pòst sanctæ conversatiónis pœnitens ad Sæculum redíre conátur. Quo tamen Romuáldus per núntium audíto, necessárium esse decrévit, ut inde discédens patri pereúnti quantócyùs subveníret. Incolæ verò illíus regiónis ejus abséntiam ægrè feréntes, illum ímpia pietáte perímere tentárunt, ut vidélicèt, quia eum non póterant retinére vivéntem, habérent saltem pro patrocínio terræ vel corpus exánime. At venerábilis Vir simuláta deméntia illórum manus evásit, & líbera facultáte uti permíssus báculo inníxus nudis pédibus è Galliárum finibus Ravénnam usque pervénit, ibíque patrem ad Sæculum redíre voléntem ita corrípuit, donec ad salútis statum, Deo adjuvánte, redúxit.

MENSE MARTII.

In secundo Nocturno.

Lectio v. *Cap.* 14. 15. & 16.

SErgio parénte ad sanctæ conversatiónis gressus revocáto, & felíciter vita functo, & Maríno in solitudínibus Apúliæ à latrúnculis interfécto, Romuáldus in palúde Classis cellam figens, in loco, qui dícitur Pons Petri, habitávit. Postmodùm verò non córporis ægritúdinem métuens, non fœtóris náuseam perhorréscens, sed ne imbecillitátis occasióne quantúmlibet se ab abstinéntiæ rigóre remítteret, ad Classis ítidem prædium, ubi est Ecclésia beáti Martíni, quæ dícitur in Silva, migrávit. Ibi verò quadam die dum Completórium cáneret, ecce malígni spíritus repentíno ímpetu cellam ejus ingréssi, prótinùs illum in terram sternunt, immáni cæde conficiunt, & exháustis longo jejúnio membris diríssimos ictus illídunt. Tandem Romuáldus inter ipsa percussiónum vérbera, respéctu Divínæ grátiæ visitátus, in hanc vocem erúpit: Care Jesu, dilécte Jesu, quare me dereliquísti? numquid omninò me inimicórum mánibus tradidísti? Ad hæc omnes iníqui spíritus Divína virtúte fugáti sunt.

Lectio vi. *Ibid.* & c. 17.

POst hæc, tanta Divíni amóris compúnctio Romuáldi pectus accéndit, ut totum cor ejus in lácrymas, quasi cera liquésceret, & de tot allisiónibus sauciáti córporis nil sentíret. Mox sanus & válidus de terra surréxit, & licèt impediénte adhuc sánguine ad eúmdem Psalmi versum, quem relíquerat, rédiit. In ingréssu quippè dæmonum fenéstra céllulæ in frontem illíus impégit, in qua manifésta póstmodùm cicátrix occálluit, quæ évidens vúlneris indícium, quámdiù vir sanctus vixit, osténdit. Igitur milles Christi assuéto bello robústior, quotídie ad majóra profícere studébat, de víribus in vires créscere, & semper semetípso fórtior nullas jam póterat enerváti hostis insídias formidáre.

Lectio vii. *Ibid.*

SÆpè verò sibi in cella residénti velut tetérrimi corvi, vel vúltures iníqui spíritus videbántur assístere, & quasi ad custodítum animális cadáver, quia non audébant accédere, cogebántur éminùs aspectáre. Sæpè etiam se in figúris Æthíopum, sæpè se per diversórum spécies animálium ostendébant; quibus clarus Christi triumphátor insúltans dicébat: Ecce parátus sum, veníte, & si qua in vobis est virtus, osténdite: Numquid victi jam estis: & máchinas certándi contra Dei sérvulum non habétis? eósque verbis exprobratóriis confúndens, conféstim velut missis tótidem jáculis effugábat. Quaprópter videns diábolus, quia per semetípsum contra Dei fámulum prævalére non posset, ad cállida arguménta convérsus, quocúmque vir Dei ibat, discipulórum ejus ánimos advérsus eum in malítiam excitábat, ut quia retinére eum ab accénso sui fervóris ímpetu impossíbile fúerat, saltem ab aliénæ salútis cura compésceret, & quia ipse ab hoste superári mínimè posset, vel ex áliis victóriam non negásset.

Lectio viii. *Cap. 18.*

ALiquándo namque ad locum, qui Bálneum dícitur, in Saxenáti território tránsiit, ubi non pauco témpore commorátus, Monastérium in honórem beáti Archángeli Michaélis constrúxit, à quo non longè cellam in ea habitatúrus intrávit. Cùm verò ex septem numísmatum libris ab Hugóne Marchióne accéptis sexagínta sólidos pro restauratióne Monastérii Palatíoli frátribus in adjutórium direxísset, réliquum in opus símile reservándo, Mónachi sancti Michaélis belluíno contra eum furóre commóti, facta conspiratióne, unanímiter cellam ejus cum sústibus & phalángiis irrúmpunt, verbéribus eum multis affíciunt, & diréptis ómnibus túrpiter dehonestátum, de fínibus suis expéllunt, quaprópter deliberáverat quidem Romuáldus, ut deínceps sua conténtus, aliénæ salútis curam postpóneret: verùm intérno terróre corréptus senténtiam mutávit: ex dictis autem Monáchis, unus in Sapin flúvium cadens extínguitur, super álios verò de nocte quiescéntes repéntè tota commúnis ædifícii fábrica córruit, & multórum membra contrívit.

MENSE APRILIS.

In secundo Nocturno.

Lectio v. *Cap. 19. 20. & 21.*

CUm beátus vir Romuáldus non longè à Cátria moraretúr, ex præcépto sancti Apollináris qui ei appáruit, locum déserens ad suum Monastérium revérsus est. Inclúsus deínde in palúde Commacléns, quæ dícitur Origárium, indéque nímio palústris cœni fœtóre, & corrúpto áere, ita totus tumefáctus, & depilátus éxiit, ut nequáquam éadem, quæ inclúsa fúerat spécies, viderétur. Nam & caro ejus tota eátenùs erat víridis, ut vix stellióni díscolor apparéret. Alio autem témpore in ínsula, quæ Péreum dícitur, à Ravénna duódecim milliáribus distánte habitávit, ubi dum in cella cum Guliélmo ejus discípulo moraré-tur, angústi paríetes habitáculi repéntè flamma corripuit, deínde ad alta conscéndens dominári per tecta líberis jam víribus cœpit; sed eo ad sólitæ defensiónis armaméntum, nempè ad oratiónem, confugiénte, conféstim, strídentes ígnium globos Divína virtus extínxit.

Lectio vi. *Cap. 22.*

EOdem témpore Othóne junióre desiderante præésse beátum Romuáldum monáchis Classénsibus, optiónem dedit elígere quem vellent. At illi unanímiter éxpetunt Romuáldum. Imperátor autem diffidens beátum virum ad régiam aulam evocári posse per núntium, ire ad eum per semetípsum vóluit, & ad cellam ejus, sole jam occidénte pervénit: cui Romuáldus, quia magnum hóspitem in parva domo suscéperat, lectum suum ad quiescéndum dare dignátus est, coopertórium tamen Rex nóluit, quia aspérrimum judicávit. Manè autem facto, Rex eum secum ad palátium duxit, eíque instáre, ut Abbatíam suscíperet, multis précibus cœpit. Tandem coáctus beátus Vir

onus

onus suscépit, réferens hoc sibi non vidéri novum, sed ante quinquénnium sibi fuisse divínitùs revelátum. Regébat ítaque mónachos sub distrícta Régulæ disciplína, neque alícui ab ea declináre impùnè licébat, ita ut neque nóbilis, neque lítteris erudítus quíspiam per actus illicítos in déxteram lævámque partem defléctere, vel à recta conversatiónis audébat rectitúdine deviáre.

Lectio vii. *Cap.* 23. & 24.

OBsidébat tunc témporis Rex Tiburtínam civitátem, quia cives ínclytum ejus Ducem Mazolínum interfécerant, ipsum quoque Regem corréptis armis à suis mœnibus exturbántes. Quare venerábilis Vir illuc ex Divína providéntia missus, ímminens tot animárum perículum delévit. Cùm enim pactum esset, ut Tibúrtes ad honórem Regis murórum partem diruérent, óbsides darent, & Ducis interfectórem ad ejus matrem catenátum dirígerent; beátus Vir fusis ad Deum précibus ómnia mitigávit. Aliud quoque bonum opus ibídem fecit: nam quidam mónachus Venérius nómine cùm tantæ humilitátis ac simplicitátis esset, ut omnes Fratres illum subsannándo despícerent, tandem eórum ludíbria ámpliùs sustinére non valens, in solitúdinem, inconsúlto Abbáte, secésserat. Ad illum ígitur accéssit Romuáldus, & suis exhortatiónibus ad Abbátem revérti pro consénsu redúxit. Qui íterùm in solitúdinem rédiens non lévia sanctitátis étiam post mortem relíquit indícia.

Lectio viii. *Cap.* 25.

TAmmus Regi familiaríssimus, qui ex præcépto Regis jusjurándum securitátis déderat Crescéntio Románo Senatóri, in monte sancti Angeli obséssso, quo jurejurándo decéptus, capitálem senténtiam passus fúerat, à beáto Romuáldo Sæculum derelínquere jussus est; & ipse quoque Rex ex eódem crímine beáto Viro conféssus, pœniténtiæ causa nudis pédibus de Romána urbe progrédiens sic usque in Gargánum montem ad sancti Michaélis Ecclésiam perréxit, per totam étiam Quadragésimam in Classénsi monastério beáti Apollináris mansit, ubi jejúnio & Psalmódiæ inténtus, cilício ad carnem indútus, auráta désuper púrpura tegebátur, lecto étiam fulgéntibus páliis strato, ipse in stórea de papyriis conféctæ ténera delicáti córporis membra terébat. Promísit ítaque Romuáldo Impérium renuntiáre, & monásticum suscípere hábitum, & cui innúmeri mortáles erant obnóxii, jam ipse paupérculo subjéctus, cœpit esse débitor sui.

MENSE MAJI.

In secundo Nocturno.

Lectio v. *Cap.* 26.

ROmuáldus cum eódem Tammo & sancto Bonifácio, quem nunc felicíssimum Mártyrem se habére Russiána gloriátur Ecclésia, nec non & cum áliis Teutónibus jam mónachis, ipso Duce, efféctis à Tíburis óppido ad monastérium sancti Benedícti, quod in Casíno constitútum est monte, devénit: ibíque gráviter infirmátus, Divína misericórdia citò conváluit. Habébat autem equum satis egrégium: quem sibi Busclávi Sclavónici fílius Regis déderat, factus ab eo mónachus. Hunc Vir sanctus humilitátis stúdio permutávit, & lucróso concámbio ásinum laudábilis negotiátor accépit, nímio quippè Redemptóris nostri desidério, qui aséllæ tergo consédérat, Vir venerábilis hoc ipsum ánimal libéntiùs equitábat.

Lectio vi. *Ibid.* & *Cap.* 27.

REdiit pósteà beátus vir Romuáldus ad Péreum, ubi dudum habitáverat, ibíque multis Frátribus aggregátis, ac per cellas síngulas constitútis, tanto fervóre eremíticæ conversatiónis rigórem & in se, & in áliis ténuit, ut illórum vita ómnibus, ad quos eorúmdem fama pervenire póterat, mirábilis haberétur. Quis enim non obstupésceret, quis non immutatiónem Divínæ déxteræ prædicáret; cùm vidísset priùs hómines séricis, immò deaurátis véstibus indútos, crebris obsequéntium cúneis constipátos, ómnium deliciárum

affluéntiis assuétos, nunc eos cérneret uno byrso conténtos, inclúsos, discalceátos, incúltos, & tanta abstinéntiæ ariditáte contrítos? Faciébant autem omnes ópera mánuum, álii scílicet cochleária, álii nebant, álii rétia nectébant, álii cilícia. Quorum tamen ómnium vitam sancti Bonifácii convérsatio lóngiùs transcendébat, qui pósteà consecrátus Epíscopus, ad prædicándum Evangélium in Prússiam missus, baptizáto Rege, cum áliis innúmeris martyrii corónam adéptus fuit.

Lectio vii. *Cap.* 28. 29. & 30.

ROmuáldo ígitur in Péreo commoránte, Busclávus Rex preces Imperatóri diréxit, ut sibi spirituáles viros mítteret, qui regni sui gentes ad Fidem vocárent. Quare Romuáldum imperátor aggréditur, & concédi sibi de suis mónachis, qui illuc destinári utíliter váleant, deprecátur. Romuáldus verò id arbítrio suórum Fratrum commísit, ex quibus duo se ultrò obtulérunt, quorum álacri voluntáte cógnita, Romuáldus cum benedictióne in Polóniam mittit, quò perventi, & Rege salutáto, in erémo per septénnium secédunt. Cùmque linguam probè callérent, mónachum ad urbem Románam dírigunt, ut ab Apostólica Sede prædicándi licéntiam obtíneat: qui dum reverterétur, ab apparitóribus Imperatóris ob suspiciónem, quòd Busclávo régiam corónam à Sede Apostólica reportáret, captus, & carceráli custódiæ mancipátus, ab Angelo mirabíliter liberátus fuit. Pósteà suggerénte Romuáldo Imperátor monastérium in honórem sancti Adelbérti constrúxit, cui contígua Classénsis Cœnóbii prædia cóntulit, cui étiam Imperatóri se mónachum fieri ut promíserat renuénti, propínquam mortem, prout evénit, prænuntiávit.

Lectio viii. *Cap.* 31.

DUm verò habitáret in monastério à se in fínibus Parentínæ civitátis constrúcto ad magnæ perfectiónis cúmulum píetas illum Divína provéxit, ita ut Sancto afflátus Spíritu: & nonnúlla ventúra prospíceret, & multa véteris ac novi testaménti occúlta mystéria rádiis intelligéntiæ penetráret; & quadam die psallens in céllula, cùm incidísset in hunc versículum: Intelléctum tibi dabo, & ínstruam te in via hac, qua gradiéris: firmábo super te óculos meos: repéntè sibi tanta lacrymárum effúsio orta est, & ita mens ejus ad intelligéndas Divínæ Scriptúræ senténtias illustráta est: ut ex tunc, & deínceps quámdiu vixit, & quandocúmque voluísset, úberes sibi lácrymæ facíllimè flúerent, & plúrima illum Scripturárum mystéria non laterént. Frequénter étiam Divinitátis contemplatióne raptus, æstuánte Divíni amóris ardóre clamáret: Care Jesu, care, mel meum dulce, desidérium ineffábile, dulcédo Sanctórum, suávitas Angelórum, & simília. Quam lacrymárum abundántiam continére non valens, ídeò Missam coram plúribus celebráre nolébat.

MENSE JUNII.

In secundo Nocturno.

Lectio v. *Cap.* 32. & 33.

MIsérunt aliquándo ad beátum Virum Fratres, qui morabántur in solitúdine, quæ Bifúrcum dícitur, consílium flagitántes, quáliter conversári in erémo debérent, & diabólicis impugnatiónibus resístere. Quos Romuáldus multo salutáris doctrínæ sale condívit, & multis contra antíqui hostis insídias virtútum armis instrúxit. Alio quoque témpore rursùs prædicti Fratres ad eum núntios dírigunt, de eádem re consílium majóre adhuc anxietáte requiréntes; quibus respóndit: Ego nunc libéllum de pugna dæmonum scribo, quem cùm rediéritis dabo, vel certè ipse fórsitan vobíscum vénio, ad quod & se parátum osténdit. Cùmque navim ascendísset, exórta válida tempestáte, omnibúsque de vita ferè desperántibus, Romuáldus ad sólita oratiónis armaménta cucúrrit, & preces sub siléntio fudit. Deínde mandávit Ansóni Abbáti denuntiáre nautis, ut nequáquam timérent, sed omnes incólumes evasúros absque ulla ambiguitáte cognóscerent, prout íllicò

absque

absque ullo humáno stúdio ipsa navis se diréxit, & in portum Capréolæ civitátis intrávit.

Lectio vi. *Cap.* 34. & 35.

VEnerábilis vir Romuáldus Bifúrcum véniens hospítium recépit in cella, in qua Petrus ejus discípulus habitábat: cùmque ibi aliquándo moraretúr, videns quòd Fratres ejus mónita non suscíperent, ad Camerínam Provínciam in loco, qui Vallis de Castro antíquitùs vocabátur, se cóntulit, ubi parva erat Ecclésia, & illic constrúctis céllulis cum suis discípulis habitáre cœpit. Ibi autem quantos animárum fructus per illum Dóminus acquisíverit, quis váleat vel atraménto descríbere, vel lingua proférre? Cœpére namque hómines ad pœniténtiam hinc inde confluére, sua paupéribus misericórditer erogáre. Alii Sæculum omníno relínquere, & ad sanctæ conversatiónis Ordinem spíritu férvido festináre. Erat enim Vir beatíssimus, quasi unus de Séraphim, quia flamma Divíni amóris incomparabíliter æstuábat, & álios quoque sanctæ prædicatiónis fácibus incendébat; simoníam verò, quam ibi plures pro peccáto non habébant, extirpáre conátus est.

Lectio vii. *Cap.* 36. 37. & 38.

CUm solémni quadam die Fratres in Capítulo salutáris doctrínæ pábulo reficeret, de repéntè mandávit accúrri ad cellam Fratris Gregórii; qui Archiepíscopus in Géntibus póstmodùm consecrátus fuit, quia fur eam frangébat, prout factum est; captúsque fur jam paríetes infríngens, quem sanctus Vir postquàm cibári fécerat, modéstè corréptum, & dúlcibus verbis admónitum, redíre ad própria in pace permísit. Pósteà demíssis in Valle de Castro nonnúllis discípulis ad regiónem Urbis véteris se cóntulit, & in possessióne Pharúlphi Cómitis monastérium constrúxit. Tantus enim in sancti Viri péctore faciéndi fructus ardor incaluérat, ut effáctis numquam conténtus, dum ália fáceret, ad faciénda mox ália properáret, ádeò ut putarétur totum Mundum in erémum velle convértere. Multos illic de Sæculo ábstulit, & nobílium filios, inter quos étiam fílius Guidónis Cómitis fuit, qui vix efféctus mónachus, mórtuus est, & ad ejus sepúlcrum cæcus lumen recépit, & multi ægrotántes rédditi sunt sanitáti.

Lectio viii. *Cap.* 39.

AUdiens Romuáldus, quòd beatíssimus vir Bonifácius Martyrium subiísset, nímio desidério succénsus, sánguinem pro Christo fundéndi Hungáriam mox ire dispósuit. Constrúctis ígitur tribus monastériis, uno in Valle de Castro, áltero prope Isínum flúvium, & áltero juxta óppidum Esculánum, licéntiam ab Apostólica Sede suscépit, & duóbus ejus discípulis in Archiepíscopos consecrátis, cum vigintiquátuor Frátribus iter arrípuit. Cùm verò jam in ipsis Pannóniæ fínibus interéssent, repentè Romuáldus languóre corréptus ultérius ire non pótuit. Cùmque diútiùs paterétur, si quando redíre dispóneret, prótinùs ex ægritúdine convalescébat. Sin autem ire ultrà tentáret, tota ejus fácies intumescébat, cibósque jam retinére stómacho languénte non póterat. Cognita ígitur Dei voluntáte, cùm septem ex supradíctis, ac quodam viro nobilíssimo Adhelberónis Ducis consanguíneo, qui pósteà mónachus efféctus est, aliísque Teutónicis ad monastérium, quod in Urbis Véteris ditióne constrúxerat, rédiit.

INTER COMMEMORATIONES

communes sive Suffragia.

De SS. PP. Benedicto & Romualdo, ad Vesperas & Laudes, Antiphona. Isti sunt duæ olívæ, & duo candelábra lucéntia ante Dóminum.

℣. Lætámini in Dómino, & exultáte justi.

℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Vel ℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum, *si in Officio dictus fuerit* ℣. Lætámini in Dómino.

Orémus.

FAc nos, quæsumus Dómine, beatórum Patrum nostrórum Benedícti & Romuáldi hìc imitári labóres, ut eórum glóriæ partícipes esse mereámur in cælis.

PRO COMMEMORATIONE

S.P. Romualdi in Officio S.P. Benedicti semel in Hebdomadam.

Ad Vesperas & Laudes, Antiphona. Verè Angelus Dei, verè Prophéta sanctus, & lux magna occúlta Mundo in finibus nostris appáruit.

℣. Justus germinábit sicut lílium.

℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Orémus.

FAc nos, quæsumus Dómine, beáti Patris nostri Romuáldi hìc imitári labóres, ut ejus glóriæ partícipes esse mereámur in cælis.

LAUS DEO.

